HIERONYMI CARDANI MEDIOLANENSIS MEDICI, DE RERVM VARIETATE. *Liber VI.*

De plantis & productis ab eis.

PLANTÆ ET EARVM DIFFERENTIÆ. CAP. XX.

PLANTARVM differẽtias alibi retulimus, nunc uerò de causis earum differentiarum, tum etiam his, quæ ab eis proueniunt, dicere propositũ est. Illud in memoriam reuocantes, quòd quæcunque cum stipite singulo anno commoriuntur, herbæ uocãtur, ut lactuca, cucurbita. Quæcunq; autem amissis foliis, non amittunt stipitem, hæ arbores sunt, aut arbusta, ut quercus, rubus, punica. Quædam sunt ancipitis naturæ, ut semperuiuum & saluia, & amaracus: uirescunt hyeme, seruantur in plures annos, tamen humiles sunt. Quædam communis, ut rutha & caulis: quæ herbæ cùm sint, in arboream tamen excrescunt magnitudinem. Fructus igitur maximi ex herbis, non arboribus oriuntur: quamuis contraria ratione, quoniam imbecilliores herbæ & breuis uitæ, non deberent fructus maximos posse producere: uerùm causa est, quòd herbæ tenerum habent caulem & rarum, unde plurimùm potest humidi tenuis trahi. Hoc igitur ab imbecilli planta,

Fructus maximi ex herbis nascuntur.

planta, cũ tam breui tẽpore ob copiã concoqui non potest: unde necesse est, omnes hos fructus esse aqueæ tenuisq; ac crudæ, frigidioris q; substantiæ. Sunt aũt maximi anguria, quã melopeponem ob id Galenus uocat, quòd non distincta sit canalibus ut pepon, sed rotũda ut pomum, ἀπὸ τῆς μήλου. odorem tamen & saporẽ melonis referat: manditur q; cum interiore parte, quod in peponibus non fit. Est his insipidus sapor, substãtia frigidissima: æstate dari solet in urẽtibus febribus. Magnitudo quãdoq; tanta, ut homo expansis brachijs uix unã amplecti queat. Pòst, cucurbita inanior & lõgior, adeò ut hominis altitudinẽ, arte adiuta, æquare possit. Post sunt pepones, seu melones, distincti zonis: quasi natura docente, non totum fructũ ut in alijs, sed partẽ quam quisq; ædere debeat. Pòst sunt cucumeres: arboreum uerò fructuũ, cũm per lignũ transire debeat succus, ut tenuis substantiæ sit, necesse est: ac pinguis, ne in plata siccetur, cũ uno anno uix absolui possit. Demonstrauimus aũt superiũs, acidum saporẽ maximè tenui substãtiæ iungi. In calidis igitur regionibus, fructus maximus est coccus, lõgitudine siliqua, quã cassiam uulgus uocat. In nostris, citrium ad pondus librarum X. quandoq; peruenit, licet rarò: pòst cydoniũ, inde persicũ, punicũ, & uua, nõ sunt unus fructus, quamuis in immensum crescãt. Differunt & colorib. plantæ. Iacea, seu trinitatis herba, uiolæ genus est, cuius floris superiora folia purpurea sunt, inferiora lutea, media uerò candida. Galesa uerò herba, non in flore, sed folio atque uno & eodem, tres ostendit colores, uiridẽ ubi cauli iungitur, rubrũ in medio, similẽ folijs arborum omninò siccis, qui color pallearis est, sed absq; nitore in apice. Est hæc herba betaceo folio: sunt qui gelosiã, qui gigliam uocent. Caduco morbo, alij uulneribus prodesse uolunt. Sed non est hic locus taliã

Fructus maximi, aquei & frigidi.

Fructus qui maximi.

Trinitatis flos.

Galesa herba.

discutiendi: illud potius doceamus, cùm ambæ herbæ hæ sint mihi cognitæ, cur tãtam uarietatem in his duabus, alijs autẽ raro, natura mollita sit? In galesa forsan manifestior causa est, nam tenui humido & calore maiore est, unde sicato quod procul est arescit, quod uerò in medio est rubescit, quasi media uia inter uiridem colorem & glaucum, quem & arundineum hîc dicam. Sed de Iouis flore, quem uiolæ odorem fermè nullum habentis, genus esse diximus, alia ratio est. Videtur autem natura in omnibus floribus, licet non in illorum tantùm folijs, nec tam distinctè lusisse coloribus. Sunt enim quidam lilijs similes forma, sed alarum papilionum uarietate conspicui. Sic asphodelus, malua q̃, flores habent uarijs coloribus depictos. Iris quoq; in medio floris, sed nullus tamẽ Iouis flori assimilatur, quod minutim in alijs colores sint distincti. Ergo color uarius fit in floribus, ob substantiæ illius tenuitatem, paucitatemq; humidi. Sed in uiolæ genere hoc humidũ est copiosius, quàm pro caloris natura: ob id, non nisi in magnas partes distinctio colorum cadere potest: unde & frigidus est hic flos, & odore carens. Cur uerò nigris radijs flores diuidãtur, cùm tamen sint exigui: causa est, quòd uis illa & exhalatio calidior, cùm debilis sit, rectà solùm fertur: unde nullam coctionem in flore, sed pediculo tantùm esse, necesse est. Sunt & quædam discrimina rerum specie, non re, quibus miracula ut sint, adducimur. Scripsit Galenus, in Cappadocia nasci hordeum sine cortice: id ego uolui diligentius perscrutari: neq; enim potuit esse hordeũ. Sed eum fefellit, quod etiam in Italia nunc contingit: nam hordeum nascitur, quod dum in area teritur, exuit corticem uelut triticum: non tamen absq; cortice nascitur, sed non adeò hæret, ut orizo: talia parua discrimina magnos quandoque in rebus ipsis describendis

Hordeum sine cortice.

bendis errores peperêre. Sunt etiam in plantis usus quidam mirabiles, uelut in Peru prouincia iunci genus, quo pontes fabricant, adeò tenaci neruo. Vt uerò lapides alendis tenacibus plantis conducunt, ita pinguis terra fructibus, quæ sine nucleo sunt, uelut ficubus, uuisq; : at his qui nucleum habent, plurimùm obest. Vnde in Hispana insula referunt, quòd pinguis sit, non prouenire oliuas : prouenient tamen dactyli: an forsan differentia à pingui non à nucleis sumenda erit, nam olea pinguissima est : inde uitis, non autem dactyli. Cassia, seu siliqua Inda, ægrè. Sol autem plerisq; conuenit. Sunt etiam herbæ quæ salis aliquid continent, & apud nos, ut aliâs dictum est, & in regione Popayan herba decocta, & decocta aqua congelata, fit sal, sed sordidum, inefficax, & prauum. Cùm enim salis natura plantis sit inimica, plurimo indiguit humido cui commisceretur, & ob id impurum, inefficax, & malum euadit: nihilo secius & hoc ex his, ex hoc autem multa : ueluti salis congelatio, & talia.

Iuncus funibus robustior.

Fructibus quibusque quæ terræ conueniãt.

Herba ex qua sal extrahitur.

Cabuia folio grandi est herba, cui adnascitur lanugo canabe robustior, alba, ex qua coturni ab Indis fiunt, iuxta Quitum urbem Peru, ut plebs appellat. Sed longè mirabilior planta est illa quæ iuxta Mexinum abundat, quam Metl uocant, alij Magnei, cardi genus, crassitudine humani cruris, altitudine duorum hominum, latior in imo quàm supremo : circiter XL habet folia, crassa in imo, & in spinam desinentia, lata : & ut cardui scapus in imo crassus, supra in acutum ualde tendit : spicam ædit, florem & semen. Folia ardent ut tæda, truncus pro ligno est, tabulisq; conficiendis aptus, eiusq; cinis lixiuium optimum efficit: antequam crescat multùm, præciditur stipes, & excauatur, destillatq; aqua similis syrupis uocatis; hæc cocta,

Cabuia.

Metl planta mirabilis.

transit

transit in mel: si repurgetur, saccharũ: si aquæ immisceatutr, tempore exiguo transit in acetum: si fecem auferant, fit uinum: germina ac teneriora folia condiuntur: succus uiridiũ foliorum calefactorũ super uulnera recentia positus, ea celeriter sanat: succus radicũ, partium q̃ propinquarum cũm germinãt, cũ succo absynthij mixtus, sanat morsus uermiũ uenenatorũ: folia eadem, materiã præbent cõficiendæ chartæ, qua ad picturam & sacrificia utuntur. Contexunt & ex filo eius arbusti uestes, calceos funeos, funes, & stramineos lectos: fermè enim illud commune est filis, ut pectinatim diuisa, idonea reddant tenuib. telis: quod reliquum est, crassioribus funibus aut stragula: aculei uerò spinarum adeò robusti, ut uelut ferrũ traiciant tabulas: atq; his sunt, non ueluti acu, sed traiecto prius corio, aut panno, inde immisso filo. Itaq; constat, hanc plantam post coccum esse utilissimã, & pluribus usibus accõmodatã. Sunt & ibi aliæ plantæ mirabiles, inter quas Elus arbos (ut referunt) folio cubito longiore, simillimo tamen nuci, cuius flos candidus ac uiridis tanti habetur, ut non sine regis licentia decerpi possit, aliãs capitale est. Aiolus uerò, rosæ florẽ habet similem arbos & ipsa magna, ut eius flos subalbidus, forma cordis, odor mali: dictum & huic, seu ob odoris suauitatẽ, seu quia cordi conferat, cuius figurã refert. Quæcunq; aũt arbores odoratæ sunt, salutares umbras habent, ut laurus, iuniperus, medica mãlus: quæ uerò salutares umbras habẽt, sunt etiam odoratæ, ut hobus apud Indos: nam germina eius aquã bene olentem ædunt, quo fit ut eadem lassitudines tollat: itaq; quæ malè olẽt, noxiæ umbra sunt: quæ aũt noxiæ, plerunq; malè olent. Videtur enim immensa frigiditas sola obesse posse, maximè calefactis corporibus: quæ autem per per se est frigiditas, concoctione optima caret: quæ autem

Elus arbos.

Aiolus.

Hobus.

cum

cum foliorum crassitie & frequentia, non ita: nõ est etiam par ratio de muro, nam neq; inæqualitas: fieri enim non potest, ut qui calorem & frigus simul patiatur, magno morbi periculo non se subijciat. Porrò ut ad Mexicas arbores redeam, genus est rosæ, quæ coloribus multis uariatur, aquamq; inficit. Et quæ purpurea est, tardè incalescit. Sunt & aliæ innumeræ differentiæ, præsertim benè olentiũ. Palmarum quoq; tot sunt genera, ut non una arbor censeatur, sed quædam ligno maximè probantur: nam hastis conficiendis adeò sunt idoneæ, ut absq; ferro feriant acriter, nec tamen frangantur, aut flectantur: quæ uerò nigræ sunt, pulchritudine præstant. Porrò coloris causa est exustio, duritiei soliditas ex humido tenui, benè concoctio: quid enim prohibet, cùm ferrum quod ducitur & liquescit, tam uehementer feriat, diuidatq;, ut & ligna idem non possint? Sed & ossa, & lapides huic usui apta sunt: sed ferrum, non duritie, sed tenacitate præstat. Palmæ.

Est ibi auellanarum genus oblongum ac striatum, ex quo optimum efficiunt uinum, & quod haud inebriat. Videtur aliquid commune habere cum palma, & quòd in racemis fructum ferat, & quòd non fructificet sine masculo: non crescit nisi calidissimis regionibus, ob id transferri nequit. Auellana Mexicana.

In Hispana quoq; insula, batata folio est hederæ, radix admodum utilis segetis loco, quàm referunt similẽ tortæ ex amygdalis & saccharo: crescit altitudine erithrodani. In uniuersum alimenta alia ex animalibus, alia ex seminibus, alia ex fructibus, alia ex plantis ipsis, alia uerò ex radicibus: nec plura esse possunt. Ex animalibus satisfacere non possunt: fructus plantæq; solidum alimentum præstare nequeunt: igitur si seminum prouentus frustretur, ste- Batata radix.

tur, sterilitas sequitur, statim, inde lues & clades maxima humani generis. Solùm igitur pro seminibus radices huic malo succurrere possunt: uerùm cùm in nostris regionibus terra frigidior sit, quàm ut planè radices concoqui possint, genus quoddam est deligendum (transferendumq; semen, aut radicum germina certo annorum circuitu) quod calidum sit egregiè atque humidum, & pingui oleo refertum. unde rapæ & carottæ non satisfaciunt: hæ enim terreæ, illæ nimis aqueæ. Habent præterea in Peru, genus aliud panis ocam uocatum & quinui, quod semen est orizæ magnitudine, atque ideò melius quàm radix. In eadem quoq; insula, fructus est omnium qui edi possint præstantissimus: pineam Hispani, à formæ similitudine: Indi, boniama, seu hyayama uocãt: è cuius genere est, quæ uocatur hyayagua. Est enim forma pulcherrimus, gustu iucundissimus, odore suauissimus, ut ex quinque sensibus tres in eo maximè delectentur. Oritur ex planta spinosa, referíq; pineam figura, sed in summo uertice germen asperum, lilij caudicis quasi instar prominet, non secus ac è pyris quibusdam: uidimus folium cum pediculo: colore mali medici est, dum acerbus est, & dùm maturuerit, pari tempore referens odore cotonei, adeoq; ualido, ut unus ex his cubiculum totum redolere faciat. Cortex ut pineis inæqualis & inutilis, sed tamen non ut pineis aperitur, uerùm alio modo fructus ipse mundatur, atq; diuiditur, magnitudo qualis medicis malis, peponibusq; : odor uerò etsi cotoneo similis sit, gratior tamen, quòd adulterinus ac mixtus fragrantia uaria uideatur: succo abundat, caróq; æqualis est atque solida, planta (ut dixi) spinosa, folio amplo: unicuiq; fructui caulis sinus subijcitur: maturescit autem spacio mensium decem: quòd si ante maturitatem præcidatur, planta ipsa nulli usui præter quàm

Pinea Inda, seu hyayama.

ter quàm impinguandæ terræ utilis est. Caulis qui supra fructum est, detractus, plantatusq; genus suum renouat: folia uerò similia carduo, sed longiora, tenuioraq;. Non seruatur ultra quindecim dies, & dum editur, pyri muscati speciem refert: suscitat appetentiam extinctam: idem tamen saporem uini ingratum reddit, & bilem gignere creditur: adeò nihil in humanis absolutum est: multa sunt illius genera acida, acerba, alteriusq; saporis, uelut etiam in pyris, alijsq; fructibus, cœli soliq; uarietate & specie diuersa, tum ipsarum plantarum cultu: habet & fila uelut cardi albi, ob quæ dentibus nocet. Et neque aqua epota post ipsum sapit, adeò ut hydropicos absterrendo à potu iuuare posset. Ex his etiam hyayagua, alba intus ac uinosa, sed saporis est acerbioris: boniama dulcis & ipsa alba, sed aliquantulum stuppæ refert imaginem: ambæ etiam hæ rotundiores: hyayama uerò oblongior, lutei coloris, intus subobscuri: atque hæc omnium præstantissima. Rustici operam maximè fructus hic sentire uidetur, quando agrestes cultis longè sunt inferiores, immaturæ decerptæ quandoq; usq; in Hispaniam transferuntur: attamen cùm in propria arbore non maturuerint, gratiæ maiorem partem amittunt. Germina translata quoq; corrupta sunt. Hæc Ouiedus, dignus cui fides habeatur. Esse uerò humidũ in hoc fructu tenue, tum pingue, tum aqueum, ostendit copia succi, fragrans odor, breuis uita: marcescit enim citò: quæ autem oleum ferunt, seu in baccis, seu in tuberculis, uelut iunioribus cedris, quæ oleo copioso redundant, non putrescunt, ut aliâs ostensum est. Ex hoc quoq; perspicuum est, oleum in resinam transire temporis tractu: ut resina oleum quoddam terrestrius sit: hinc fit, ut resina oleo diluatur: miscetur enim, quoniam eiusdem est naturæ, & mixta diffunditur, amittitq;

Cedri oleum.

titq; lentorem. Varietatem soli plurimum afferre diuersitatis, tum species uarias sub eodem genere collocatas, aliâs docuimus. Nunc uerò omnia communia esse uidentur, adeò industria cum bona quadam fortuna nostro sæculo certare uidetur. Myxa, nec auditu olim cognita antiquis, iam nunc in Italia uicinisq; regionibus colliguntur, ut recentia degustare liceat. Arbor est, ut Matthiolus refert, pruno similis, aliquanto minor, cortice trunci subalbido, ramorum autem subuiridi, folio rotundo, firmioq;, fructus minor pruno, uiridis, fuscusq; cùm maturuerit, ossa triangula: gustus dulcis, sed adeò lentus, ut uiscum gustasse uiderer, nec ab re forsan: referunt enim, in oriente ex his fructibus optimum uiscum confici.

Myxa.

Huius memoria quippiam non inutile reuocauit in mentem, scilicet ribes descriptionem: quoniã is fructus medicinæ commodissimus est, cuius loco utimur incerto frutice fructum in umbella ferente. Itaq; Petrus Bellonius, qui eã plantam uidit in Libano, hæc habet: Ribes sub niuibus in uertice montis oritur, folio oxylapathi, sed rotũdiore maioreq;: baccas fert è sinu medio rubras, ut in lauro Alexandrina, hippoglosso, ruscoq; conspicimus. Itaq; liquet utros huius ætatis, diligentia antiquioribus, atq; iudicio haud cedere: peritia uerò rerum, quæ tẽporis auxilio parta est, superiores esse: ingenio, similes. Sed cùm neq; magni uiri artibus operam ipsi dent, nec dantibus auxilientur, hoc ipso maiorum ætate nostra inferior est. Reduxit hoc in mentem quod uidi Diepæ, dum essem in Gallia, rocellem (ea planta humili ex arbustorum genere, folio angusto ac tenui, quasi uitis, spinosa, baccam ferens, quæ cùm maturescit, uiridis & subflaua est, rotunda admodum, magnitudine lupini, gustu ex dulci astringente) in arbusculã euasisse, fructũ uerò ferebat

Ribes.

Rocellæ magnitudo mira & quid.

ferebat cerasi magnitudine. Et tamen Lixubij regionē tam frigidam incolūt, ut uuæ nulla arte proueniāt. Sed fructuū magnitudinem & iucunditatem cum ipsa arbore crescere, par est: meliùs enim concoquitur in crasso trunco humor, quàm exili. Itaq; cùm ramosa esset atq; frondosa, circundu xerant illi rete, atque ita auiculas in ea pulchro spectaculo nutriebant: neque forsan facilè fuisset aliam huic arborem persimilem inuenire & adeò accōmodatam. Prouenit enim hæc plāta in frigidis regionibus, ideoq; plurima in Gallia, esiq; uirens, salubris, & grata uisui.

Auiculæ in arbore nutritę.

Vidimus & Diepæ piperis genus quoddam ex India allatum, muccosum & pingue ualde, in uaginulis contentum, quæ nigræ erant: cùm ipsum piper, colore esset ferrugineo, & maius nostro quod ex oriente defertur. Itaq; cùm plurimùm habeat humidi concocti: gratius est uentriculo iecoriq; & maximè, quòd saporis sit mitioris, & longo piperi simili.

Piper antropophagorum.

Aderat ibi & herba, quam Creticū diptamū esse affirmabant, folijs lanugine quadā obsitis, paruis, odore saporeq; acuto, nec iniucundo: flos cæruleus uidebatur: nam colorem, ob siccitatem non satis assequi poteram: referebant etiam non deesse semen: itaq; longè aliud ab illo Dioscoridis esse uidebatur, imò & Virgilij. Acrimonia uerò quæ illi inest, inest & multis alijs plantis quæ in Creta, uel alijs calidioribus regionibus nascūtur, maximè autem in montibus: uelut origano & hyssopo: atq; adeò magna, ut alterius cuiusdam generis esse uideantur: quemadmodū expertus sum apud Gulielmum Caulium, præfectum montium Allobrōgum, qui mihi hæc ostendit, deditq;.

Diptami genus.

Est etiam Lutetiæ sabinæ genus (ut etiam Bellonius refert) quam quidam bruton esse uolunt: simillima est cupresso,

Sabina.

presso, ut uix ab ea distingui queat, sed baccam fert dissimilem, odoratam tamen ac nigriorem, folia saluiam olent: unde ferunt, Tartaros spargere puluerem super cibos. Vocant ob id quidam uitæ arborem, uel quia in contignationibus nullum uitium lignum hoc sentiat: eaq; Turcæ utuntur. Ex hoc autem cedri genere, fermè est ea planta apud Indos occidentales Cumanæ prouinciæ, cuius tabulis si naues conficiantur, non sentiunt teredinem, malum illi regioni ingens: si arcæ, quæ reponũtur, omnia benè olent: quod uerò mirum dictu est, edulia tantum amarioris contrahunt, ut esui ingrata reddantur. Vt uerò regionum uarietate, quæ specie conueniunt, diuersa esse uidentur: ita sponte omnes plantæ quibusdam locis proueniunt, uelut in Atholia Scotiæ regione iuxta Ludnicum, ager hordeum absque semine producit: & tamen triticum transit in siliginem: quod huic non conueniat, illi conueniat. Neque hoc dubium est: uidemus enim tot herbas agris uomere prosciscis erumpere, ut semine nullo natæ dici possint. Nec unius magis ratio quàm alterius, ut antiqui crediderunt, sed perfectiores pluribus indigent: neque enim sola terra aut Sole opus est, sed mixtione atque putredine quadam. Cùm enim hordeum in Scotia nascitur, frumentum in Sicilia, palma in Africa ortum habebit. Prodest semen, imò necessariũ est ad abundantiã, non ad generationẽ: indita enim hæc uis est terræ ad perpetuitatẽ specierũ. Quamobrẽ miscere, & adulterari, & denegerare omnia, necesse est, non solùm mutatione conuenientis regionis, sed & artis, uelut scobis, aquarum, umbrarum, ac reliquorum. Sunt etiam plantæ in precio, nec satis cognita ratione, uelut coca, cuius folium manditur ab incolis Peru: crescit in modum arbusti: nec tamen arbor est, sed seritur folio myrti: adeò uerò ma-

Cedrus Cumanica.

Plantæ omnes sponte proueniunt certis locis.

Coca plana.

rò magnus prouentus, ut multi aduehentes eam è regione in regionem, illa sola ditati sint: nec tamen constat, quid illis afferat commodi, ut mereatur tota die ab Indis mandi, & tam auidè peti. Est aliud genus plantæ, sed arbor est, mollis uocata, quæ fructum sola fermè fert inter arbores, quæ inter montes crescunt, folio paruo, odore fœniculi: cuius cortex adeò salutaris, ut si aquæ incoquatur, soluat lotio illa lassitudines ac tumores: ramuli gingiuis ac dentibus utiles sunt, cum eis dentes fricantur, purganturq. Fructum fert exiguum, qui incoctus aquæ, sola coquendi diuersitate, mel, uinum, & acetum facit. Manifestum est autem, prius uinum fieri, quàm acetum: mel uerò dulcedine uinum præcedit, crassitie subsequitur. Mollis plan ta.

Est etiam ibi radix quædam iunci, quæ imposita per noctem in aqua, absorbet maiorem partem, si non admodũ multa sit: eius residui dimidium ebibitum, purgat facillimè atq; salubriter. Idq; bis expertum affirmat Petrus Cieza, dicens, purgationem non absimilem uideri ei, quæ fit cũ rha barbaro: radix crassitudinem habet digiti.

Sed non est propositum singula aggredi, uerùm ex uno plura docere, ut sæpius testatus sum: habemusq; præsentia, cur longinqua petimus? quot uidere rosas, quàm pauci animaduerterunt colores illarum? sunt rubeæ minus odoratæ albis: quæ uerò purpureæ, sunt omnibus odoratiores: croceæ autem etiam malè olent: cur hoc? rubeæ nimis siccæ sunt: accidit autem, ut in tenui substantia, citò siccum exhaleat, uelut & in syluestribus: albæ autem, quoniam nimis humidæ sunt, non tam benè olent, retinent tamen magis odorem: purpureæ cùm temperatæ sint, optimè olent, & diu retinent odorem. Croceus colos in plantis fit, euanescente calore naturali: sed non croceus qualis croci, Rosarum colores.

ſed qualis competit roſis, & qualis paleæ & foliorum areſcentium, unde odorem potius tetrum efficit. Ob id nullus flos eiuſcemodi coloris bene olet multum. Eſt pomum croceum tamen apud nos, quod bene olet, ſcilicet mandragoræ, ſed leuiter. Aliud uidi huic perſimile quod malè olet, & ipſum tamen parum: plantam non uidi, quæ cùm frigidi temperamenti ſit, non eſt è genere ſolani, quippe fructus eius ſunt rotundi, plani, magnitudine & forma pomorum ſanguineorum, ſed peponum inſtar, parum profundis canalibus diuiſa. Comarus quoq; hoc anno primùm uiſus eſt in urbe noſtra, fragrorum forma & ſapore, ſed maior longè, ſeriusq; matureſcit: uideturq; iucundior, ſeu ob magnitudinem, ſeu raritatem.

Pomũ croceum.

Comarus.

Eſt blitis genus rubens apud nos, ut purpura: truncum foliaq; diſſecui, rubent omnia ex æquo intus: naſcitur aridis locis: creditur q; blitum eſſe, quod loci qualitate à natura propria deuiauerit. Chelidonia ſuccum fert croceum, lactiris albũ, & tamen truncus & folia exactè uiridia ſunt: at blitum rubet, ut dixi. Cauſa eſt quòd pauca pars in his concocta eſt: unde qui fluit ſponte, quaſi ex uenis non diſtributus, alium colorem quàm ſuccus ipſe retinet. At blitum, ob ſubſtantiam raram & paſſibilem, totum immutatur. Fit autem rubrum ex uiridi, cùm aduritur. Ob id palàm eſt, hoc olus minus frigidum & humidum, quamuis egregiè inſipidum ſit. In eadem enim ſpecie plurimæ ſunt differentiæ, ueluti longiorum, latiorum, aſperiorum, leniorumq; foliorum: uelut raphanus, quò leniora habet folia, eò minus acris eſt radix, minus enim ſicca: quæ autem minora, acutiora: & ideo in moderatis ac inſipidis, meliora: in alijs, deteriora: quæ capitata & criſpa, faciliùs concoquuntur, quoniam friabilia ſunt.

Blitum rubeum.

Differentiæ plantarum in eadẽ ſpecie.

Aliud

Aliud discrimen est in speciebus uelut solano, cuius species quædam adeò somnifera est, ut omnes dolores placare posiit, estq; ob id mihi ualde in usu. At Scoti, ea herba uino immixta, Danos, Suenone duce, sic inebriarunt & in somnũ induxerunt, ut eorũ exercitũ funditus deleuerint Boëthius dubitat, an id genus potius sit quod amentiam gignit, describitq; tale, quale passim habetur apud nos. Est hoc uenenno aptius ad fallendũ, quòd qui uehunt, tutò præbibere possunt. Eius herbæ copiam magnam esse refert in Scotia, nos cicutam ibi uidimus. Existimoq; postquam & apollinaris herbæ copia adest, uera esse quæ referuntur. Solani somniferi mira uis.

In Palma, insula Fortunatarum, pyra (ut referunt) in miram magnitudinem excrescunt, scilicet ponderis uncia-rum uigintiquatuor. Quæ tamen magnitudo licet rara sit, non tamen admirabilis: nam ego Mediolani nata iudico paulùm leuiora fuisse, nam ad magnitudinem capitis infantuli accedebant. Regiones enim mutant plantas, commodaq; illarum, Maizum enim in India occidentali, nõ solùm melius prouenit, quàm in nostris regionibus, sed Indis ipsis utilius est quàm triticum: cùm & ob consuetudinem melius alat eos, & ex eo uinum conficere soleant, magisq; multiplicetur, minoriq; periculo seratur, indigeatq; leuiori cura, laboreq;: cùm unus homo sufficiat maizo serendo: tritico cũ homine iuga boum sint necessaria. Itaque non solùm quod optimum est, sed & cui considerandum, & in quo. Pyra magnitudinis insignis. Maizũ quibus frumento præstet.

Brassica triplici nobilitate præstat, nam cibus est, & medicina, adeò ut Romani non aliam nouerint tam in externis, quàm interioribus morbis: uis tam egregia, ut incocta uasis, in quibus aquæ feruere solent, crustas ab illis auferat: partibus enim tenuibus & nitro similibus prædita est. Sapore adeò suaui, ut à plerisque nobilioribus eduliis præferatur. Brassicæ laudes.

feratur. Multiplex ac uarium genus, & multos habet inimicos, uitem origanum, & cyclamen.

Medica herba.

Totidem laudibus Medica herba digna est: quæ semel sata, triginta annis durat: sexies siccatur in annos, cùm minimum quater, & animalium uitijs plerisque medetur: adeò suauis ac nutriens, ut pecus arcere necesse sit, ne uel disrumpatur, aut sanguinem detrahere oporteat: trifolio similis est, sed geniculata: folium rugas contrahit, semen lentis magnitudine, in corniculis continetur, quod ob gratiam saporis seruari solet. Olim in Italia copiosum, nunc aufugit ultra montes. Opulenta merx, si non tam exacta cura indigeret. Sunt & discrimina alia in plantis: quædam enim lignum ferunt, ut arbores, arbustaq; & quæ diutius uiuunt: fieri enim non potest, ut annua planta lignum habeat, nec quæ diu uiuat, careat ligno: lignorum quædam medullam magnam habet, ut sambucus: quædam paruam, ut corni: quibusdam etiam loco medullæ lignum, ueluti Indico ligno quo utimur ad elephanticos, & spinosis quibusdam arboribus in Germania, unde hastæ fiunt, indicio est rotunditas. differunt tamen substantia, in omnibus medulla & lignum. Durissima sunt quæcunque solidiora, ut hæc & buxus, & morus, ilex, robur, ebenus. Ossea hæc ligna appellantur: faciliùs tamen quædam ex his frangunturquàm larix, quoniam celerius siccantur, uel quia rariore substantia sunt: aqueum enim est humidum. Pingue autem quod pro lachryma est, in alijs quidem continetur in toto ligno, uelut in larice: in alijs, in medulla tantùm, uelut in ligno quod sanctum, seu Indicum uocamus. Experti enim sumus tabellas expositas igni, solùm ea parte lachrymam reddere nigram: nigra igitur ea pars ob succũ, quare & sola ea uires retinet. In quibus igitur nigredo magna,

Lignorum differentia in plantis.

Indicum lignum cur in medio nigrum.

gna, in his etiam succus nigerrimus, & terræ commixtus & exustus. Vbi uerò magna pars nigra, multùm etiam de succo inest, unde & ponderosius est. Liquet igitur, in ea parte solùm, uel maximè uim inesse: pars enim illa sola pinguis est: reliquum potius aduritur, quam succũ remittat: quod igitur medio modo se habet, & circa quantitatem, & circa colorem, ponderosum tamen est, efficacius est: & maximè si acre, amarum, & odoratum fuerit. Dictum est autem hîc generaliter, alibi autem speciatim.

Arbores esse infrugiferas, alias noxias, haud dubium est: sunt & quæ umbra sola nocent, atq; de his dictum est. Verum uerò aliæ alijs modis infelices esse possint, dubitatione dignum est: antiqui enim sambucum oderãt, & quasi inter ferales connumerabant, quòd canes ex ea solerent suspendi: similiter & ficum, & morum, quæ fructus æderent nigros, quòd Diti & inferis sacræ esse crederentur: diligebantq; albos, uelut & uitem, et pyrum qualemcunq;, ac mãlum. Cupressum uerò & appium auersabantur, quòd domus funebres & cadauera his ornarentur. Quæ omnia nõ solùm Christiano uiro ac philosopho, sed etiam prudenti indigna sunt. Verum tamen arbores aliquo alio modo noxiæ esse possint, dubitatione dignum est: an fortasse umbra illarum nocet cæteris plantis, quoniam densa admodum atque frigida sit, radix uerò longius trahat alimentum, ut nux: & quæcunque inutiles tum ligno, tum fructu, atq; folio, his enim prodesse mortalibus solent: folio ut morus, fructu ut uitis, ligno ut suber. Nihil autem uidetur aliud excogitari posse, nisi forsan, aut casu, quemadmodũ de duab. domibus, quas Mediolani infœlices dominos semper habuisse cõspeximus, intelligatur: uelut & de Hermionis monili, fama est. Vtcunq; sit, hæc magis ad tracta- Plantæ infaustæ.

tionem de fato pertinent, quàm ad præsentem. Inutilem ergo arborem esse dixerim, quæ neque lignum, neq; fructum, neque folium ad aliquem usum præstet: aut quæ lætifera sit, uelut mâlus mortifera, & inter herbas quæ lac producere solent: aut quæ umbra hominibus nocēt, ut taxus: aut quæ aërem corrumpit, uelut buxus, quem constat aërem fœditate odoris corrumpere: eiusdem flores, certo experimento compertum est, necare apes: aut quoniam umbra earum serpētes delectientur, ut de eruca & saluia aliâs dictum est: aut quoniam erucas & formicas alant, tum culices, uelut arundineta: uel quia melioribus plantis obsint. His modis infaustæ habentur. Sunt & quæ minimè delectent, folio liuenti ac pallido & raro: aliæ quæ aculeo lædant, ut rubus & urtica. Sed talibus pro sepibus utimur. Sic contrà, aliæ pulchritudine delectant, ut platanus: aliæ odore, ut rosa: aliæ utiles (ut diximus) ligno, fructu, folio: aliæ quæ aërem reddunt salubrem, uelut pinus: aliæ decore, uelut uitis, unde topiaria, & iasemmus: aliæ multiplici usu, ut myrthus: aliæ aduersus serpentes, ut fraxinus.

Coniferarū arborū pro ceritas. Lib. 13.

Vt uerò platano pulchritudinis palma debetur, ita coniferis magnitudinis & proceritatis: cuius rei duo sufficiat adduxisse exempla: unum Strabonis, eius uerba sunt hæc: De pulchra pinu Attalus qui primus regnauit, ita scribit: ambitum eius esse pass. XXIIII, altitudinem à radice LXVII. postea in tria scissam æqualiter distantia inter se, rursus in unam apicem cohiberi. Totam illius altitudinem esse duorum iugerum & XV cubitorum. Distat ab Adramyttio stadijs CLXXX. Tiberij quoq; tempore ex larice excisa est trabs crassitudine bipedali, longitudine autem pass. CXX. æqualis: ex quo immēsam eius altitudinem conijcere licet. Neq; tamē tomferæ arbores, adeò in eximia

illa

illa magnitudine cõueniunt, uelut in materiæ firmitate, & lachrymæ copia. Sunt autem illarũ species decem: cedrus, thuia, sabina, picea, pinus, pinaster, larix, sapinus, abies, cupressusq́. Sic inter se differunt: Cupressus nucem fert rotundam, & lignum habet bene olens, fructus galbulus dicitur. Abies proceritate distinguitur à cæteris, etenim apud nos cedrus non grandescit: folia septem in gyrum stellulæ depictæ instar, non aculeata, nostra emittit: enodis præterea est, & conum sola cum cedro ad cœlum dirigit: fructum apud nos non fert. Sapinus folia habet acuta, uiridioraq́, longè conos profert pudendo uirili similes, uersus terram pronos, ramusculi pendentes, & nullo seruato ordine prodeunt: in cæteris magnitudine, folio, trunco enodi, abieti similis. Larix sola è coniferis hyemem sentit, foliaq́ amittit: fructus, cupressi magnitudine, sed oblongior: semen quoque haud absimile, sed quod mansum pineam nucem redolet: singulæ nuces, nucleos habent binos. Pinaster multa habet præcipua, primùm corticem leuem ac ductilem, non secus ac corium uitulinum: & suprema pars, in coni effigiem melius quàm ulla alia arbor assurgit: ramos circa caudicem, cruciformi forma per interualla: germina quoq́ in extremitatibus, quorum medium maximum est: & ex crassiore surculo, folia quina surculum ambientia, & in horum medio fructum, pini cono similem, sed molliorem. Pinum à fructu notissimo omnes cognoscunt, suauior & maiora à satiua & culta quàm sylueſtri, ut in cæteris arboribus: cortex durissimus huic fructui, forma coni magnitudo, ut cotonei, uel maximi pyri, ut formam simul exprimam: fructus suauis, nirancidus sit, facilè autem in hanc labem degenerat. Picea, uelut hypericon crucem effingit ubiq́, hinc atque illinc ramis extentis: iulos hyeme, inde conos profert, folia

Coniferarũ arborum species.

gustu subacida & astringentia: caudex sauciatus resinam profert statim: radix unica tanquam palus humo infixa. Sabina, altera magna, altera ut arbustum, imò frutex, folio cupressi, gustu amaro, odore grauì, colore puluerulenti folij, cætera maiori iunipero similia. Thuia non adeò familiaris, crispa radice, atq; ad nobiliora opera maximè idonea: in fructu, grana hordeo similia, sed exiliora, longiora, duriora. Cedrus altissima, enodis, crassa, atque in his persimilis abieti: præter id, lignum rimam non contrahit: cortice quoq; leni ab abiete differt, quæ scabrum habet: conos & ipsa (ut dixi) in cœlum tendentes mittit: coni obtusiores, & minores quam pineæ, duriores & maiores abietinis: rami quoq; hincinde spargunur, crucis forma transuersi, parumq; se attollentes in altum, aut nihil. Peculiare etiam est tenellis arboribus, caudicem scatere tuberculis, quæ disrupta, statim olei non paruam quantitatem emittunt. Est & ex hoc genere Phœnicia, folijs oblongis, & in mucronem desinentibus, ex trigona forma, quoniam dorsum habent prominens. Tria ex uno surculo prodeunt, interq; fructus è baccharum genere rubent, dulcesq; sunt & suaues, nisi quòd semina in ea contenta, quæ triquetra forma sunt, eam suauitatem impedient nonnunquam, cum amara sint. Magnitudo fructus ut nux, cùm cœlum arriserit. Lignum rubens, & cupressium olens. Nascitur & in Lycia, cuius cortex humido pingui madet, foliáq; obtusa & rotundiora, horum odor attritu perquàm suauis est. Atque hæc Bellonius obseruauit diligentiùs, quàm commodè tradiderit: nam quomodo sabinam coniferam uocet, iuniperum autem non, haud edocuit. Nunc aũt ad eas quæ his quasi arbores congeneres sunt, accedamus: è quibus sufficiat triũ aut quatuor meminisse, uelut lentisci, terebinthi, iuniperi, & lauri,

lauri. Nulla harum frondem amittit, sed lauro maiora folia, lignum fragile, bacca nigra, nulla lachryma. Iuniperum si quis non agnoscit, tangat: folijs enim ut spinis præditus est. Fructu suaui, rotundo, rubente, apud nos cœruleo postquã maturauerit, maioris fructus æqualis nuci. Conuenit in hoc cum cedro, sed iuniperi planta obliqua, exilis, nodosa, parua: cùm cedrus ad passuum centum triginta altitudinem: qua parte solùm ad opera utilis est, crescat. Ita cùm eiusdem generis prorsus sit cedrus cũ abiete, proculdubio differt tamen fructu, cùm (ut dixi) abies sterilis toto genere sit: quod contingit regionis frigiditate. Indicio est, quòd nulla arbor naturaliter sit sine fructu. Nõ enim carere semine potest

Fructus autem, & caro, & uestimentum est seminis. Ita etiam abies à picea differt, quoniam picea fructum fert oblongum, obtusum, mollem: abies nullum, cedrus rotundum: pinus durum, coni forma acùtum. Vtrunque autem descripsi, ut facilè discerni possent. Pini etiam fructus multò maior est quãm piceæ. Pinaster piceæ fructu in mollitie, pini in forma: atque ita ab utroque distinguitur. Sabina, iuniperus, cedrus, baccas, non conos proferunt: cupressus, nucis instar, sed diuisum fructum, atque in hac parte coniferis similem. Sic & larix, sed longiorem. Sapinus piceæ similem, & magis pronum: sicut larix cupresso, sed longiorem. Lentiscus racematim, & præter eos, folliculos intortos, in quibus liquor limpidus continetur: qui postmodum in muscionum quoddam genus uertitur: folijs pistacij arboris, structura corylij, idem

li, idem mos, flos oleæ, sed colore ruffo, fructus lentis magnitudine, resinam præfert manibus adhærens, racematumq; proueniens. E tredecim igitur arborum generibus, (nam thuiam ut gnotam, ac uelut cedri nobilioris speciẽ, omittere uolo) conos ferunt pinus, pinaster, picea, sapinus, nuces, cupressus, & larix: baccas cedrus, sabina, laurus, iuniperus: sed laurus, oblongas & insuaues: racematum lentiscus & terebinthus, exiguosq; : abies, sterilis: frondem omnes retinent perpetuam, præter laricem. Resinam copiosam mittunt picea, pinus, pinaster, larix, lentiscus, terebinthus, abies: minus, cedrus & sabina: nullam propè pinus, laurus, cupressus. Vehementer olent iuniperi & lentisci resinæ, tum sabina, laurus, cupressus, & ubi lachrymam fundit, lachryma ipsa. Lignum quoque semper & iucundo odore. Acuta folia & exilia habent omnes, præter laurum, lentiscum & terebinthum. Itaque potius oxyphyllas arbores, quàm coniferas appellauerim, iunipero addita. Gaudent omnes sicco loco, agrestiq; ac montibus. Propterea Heluetiorum montes piceas & pinastros, dum transirem, habere animaduerti, cæteráq; eiusmodi: Galliæ, buxum: Italiæ, iuniperum. Constat ergo has arbores in pauciora genera redigi posse, & quantum conueniant atque dissideant inter se: uerùm non tam illarum natura, quàm animalium, quod à nostra remotior sit, nota nobis est. Verùm si calculus his quæ narrata sunt, sit adhibendus, postquam cedrus maior conos, minor baccas profert, ambæ cedri nomen mereri non possunt: quæ enim fructu specie differunt, differunt & semine: semen autem finis. hæ igitur arbores omninò specie differunt, magis quàm asinus & equus. Videndum est igitur quæ uera cedrus sit, an altior & conifera, in Libano abieti per-

quam

quam similis, an potius baccifera iunipero: nam bacciferā Dioscorides, non coniferam, cedrum esse refert, ut & Theophrastus: aut igitur mentitur Bellonius, pro baccis conos illi ascribens: aut dicendum est, abietes fuisse quas uidit in Libano, non cedros. Quòd si quis obijciat scripturæ sacræ dictum, Sicut cedrus in Libano: fieri potest, ut tunc cedri extiterint: post tot autem Romanorum bella atque excidia, uerisimile est operū militarium causa succisas esse, cum mons Libanus haud procul esset à Hierosolyma. Et præsertim quòd commune sit omnibus fermè oxyphyllis arboribus, excisa coma interire. Aut dicendum, abietes æterna ibi materia ob loci qualitatem, cedros uocatos: nam & Theophrastus, cedros in Syria maximas nasci affirmat. Ego tamen cedros esse, quas describit Bellonius in Libano uisas à se, existimo: nec baccas ædere, sed congenerem esse abieti. Theophrastum autem non uidisse eam, sed maiorem iuniperum pro cedro habuisse, atque descripsisse. Eundem autem Dioscoridem secutum, confudisse cum cedro iuniperi maioris genus: inde ortum tam grauem errorem, dissidiumq; manifestum, ut sit cedrus conifera, enodis, altissima, recta, amplissima, duplici resina prædita, oleagina quidem & densa, materia ad opera æterna. Phœnicia uerò Lyciaq;, non cedri, sed iumperi maioris genera, Græcis cognita: qui cùm cedrum ueram nunquam uidissent, hanc autem à minore iunipero differre plurimum intelligerent, pro cedro uera has arbores habuisse. Indicio etiam, quòd cedro acuta folia ut iunipero tribuunt, cùm uera cedrus (ut Bellonius refert) obtusa & breuia habeat. Aliud est argumentum, quòd Theophrastus hanc maiorem iuniperum neq; nouit, neq; descripsit: licet enim duo genera iuniperi dixerit esse, unum tantùm genus, tamen

men dixit fructum ferre, cùm ambo quæ describuntur, fructum ferant. Et certè contenderim, Theophrastum nisi nostram uulgarem iuniperum sub eo nomine agnouisse. In Dioscoridem irrepsit error, siue ipse utranq; cognouerit, inde etiam ex Theophrasto cedrum superadderit, seu corrupto capite de iunipero, quod omnes fatentur: satis constat iuniperi duo esse genera, arboris & fructus magnitudine disidentia, non illorum aut foliorum specie: cedrum autem coniferam, eiusdemq; cum abiete speciei. Matthiolus uerò Dioscoridem suum secutus, conatur (ut dici solet) nodum in scirpo quærere, ut aliam faciat cedrum, aliã maiorem iuniperum. Quanquam non negauerim, more aliarum plantarum discrimen etiam inueniri inter maioris iuniperi arbores, sed non tantum ut speciem uariare possit. Hoc principium cùm antiqui non animaduerterint, nostri æui homines ignorent, magnos in speciebus determinandis errores admiserunt, cedrum ueluti bacciferam dicentes. Sed Matthiolus negabit, ullam esse cedrum coniferã. Atq; id rectè. Nam finge de his nihil esse scriptũ, quod melius est quàm perperam scriptum esse, si plantas digerere libeat in species, cedrumq; coniferam existimemus quæ enodis sit, folio piceæ, quæ in immensum crescat: quis tamen te uecors erit, qui congenerem & iunipero similem fructu, folio, ligno, cedrum uelit appellare? Sed ad utiliora transeamus: piget quòd redarguendis falsis opinionibus, contra meum morẽ, multa uerba, paucos sensus, effundere cogor: rationem picis attingamus: ea multũ à resinis differt: quanquam si quis picem resinam, feculentam & exustam appellârit, non decipietur. Ferunt illam ex picea sumi: quidam etiam è pinus lignis, & generaliter ex quibuscunq; copiosa defluxerit: nam ex omnibus resiniferis defluit, sed nõ adeò copiosa,

Picis & tædarũ historia.

copiosa, ut sumptum æquet. Liquida uerò pix, è cedro manat, id est, maiore iunipero: densior enim resina, liquidior pice: utraq; pix flaua & nigra, apud nos cōcreta et dura est, & è piceæ ligno excocto defluit: unde etiā tæda, quæ propriè est medulla piceæ senescentis, quod hæc facillimè ardeat, & alacrē flammā emittat. Verū generali nomine tædā dicimus, resinifera ligna quæ benè ardēt: unde etiam ex larice & pinu sumūtur. Vt autē huic proposito coronidem imponā, cedrus Græcorū est iuniperi species procerior, fructu maiore: Hebræorū autē abies fructifera, apudq; hos cedrus alia, iuniperi nomine uocabitur: sicut & apud Græcos, cedrus Hebræorum abietis species fructifera.

Cucurbitarū & cucumerum sensus.

Sed utrum ne sensus quidam plantis omnibus, aut quibusdam tantùm, uelut cucurbitis, quæ aduentu mulieris maximè mensibus fœdatæ, contabescit? Sic & cucumeres tonitru, quos constat omnium consensu, ad aquam pergere & extendi, oleum refugere: & si prohibeantur, incuruari? An forsan hic est sensus ille communis, quò ad simile quodcunq; fertur, contrarium refugiens? Maior autem similitudo in his plantis cum aqua, & contrarietas cum oleo, quàm in alijs: incrementum quoq; uelox, unde manifestiora omnia: in nocte enim una, ut Plinius quasi oculatus testis refert, cucumis extenditur, contrahiturq;.

Iua artetica.

Discrimen plantarum in quibusdam generibus adeò angustum est, ut non facilè sit species ipsas discernere, quoniam operationibus manifestis carent. Animalia autem habent, tametsi pisces non adeò perspicuas. Iua artetica herba est, quam chamepityn antiqui uocant, multorum iudicio: alij negant, nec facilè est hoc ostendere aut decernere. Cumq; artubus plurimum conferat, breuiore tamen, latiore atque crassiore folio est, quàm uulgata chamepitys,

egregiæ

egregiæ amaritudinis, humi sparsa, nec tamen serpens. Ob hæc igitur perpetua contentio de nominibus plantarum. Atq; ob id quoniam non nisi post multa secula definire non licebat, ab ea abstinuimus. Tum uerò & mutata erunt nomina, ut uix unquam hæc disputatio finem habitura sit. Quomodo tamen distinguendæ sint, aliâs diximus.

PLANTAE AQVAM SVBESSE DEMONSTRANTES. CAPVT XXI.

HERBARVM, arborumq; uaria natura, sed maximè diuersa illarum est quæ in aquis nascuntur, aut in loco aquis proximo, & quæ in macerijs ac muris, rupibusq;, atq; inter saxa: nam è saxis plantæ prodeuntes miraculi speciem referunt. Quæ igitur iuxta aquas semper nasci solent, ubi non prope nascãtur, aquam non procul subesse significant: cuiusmodi sunt spondyliũ, siliqua Inda, seu cassia nostra, muscus, salgazus, algarum multiplicia genera, plantago, ranunculus, uerbena, tussilago, hydropiper, cyperus, iuncus, nymphea, potamogeton (unde nomen illi) tribuli, scordeon, lichen, phyllitis, capillus Veneris, salix quoq; & oriza, & quam rutham uocant capraria, itẽ populus: sion uerò ac sisymbriũ, in aquis currentib. inueniuntur. Tum etiã alia multa genera, quæcunq; etiã magnos ædunt fructus & molles, aquas subesse significant: uelut pepones, melopepones, cucurbitæ, cucumeresq;, foliorum quoq; magnitudo & rotunditas, plantam aquis gaudere declarat. Vnum etiam quasi certum est argumentum, si pediculus oblongus sit, ac tenuis, in herbis.

Plãtæ aquã subesse significãtes.

At